

ad Pet. Antioch. Patriarch. Agatho in epist. ad Constantium Imperatorem, quæ lecta est in VI Synodo act. IV. et deinde act. VIII. a toto Concilio approbata. Paschalis II. in Concilio Romano, apud Abbatem Urspergensensem in Chronico; quibus addo, velint nolint hæretici, Innocentium III. cap. Majores de Baptismo et ejus effectus. Si ergo Romanus Pontifex errare non potest ex cathedra docens, certe judicio ejus acquiescendum est, et ipse esse debet summus Judex.

Sextum testimonium est Act. XV. ibi enim legimus, cum orta esset quæstio gravis de Fide, in servanda esset Lex Mosis a Gentibus conversis, non fuisse remissos unumquemque ad spiritum suum, sed ad Concilium Hierosolymæ habitum, cui Petrus præerat, et Petrum omnium primum in Concilio locutum, deinde Jacobum sententiam Petri confirmasse, et sic quæstionem solutam illis verbis: *Visum est Spiritui sancto et nobis etc.* (1). Quibus ostendunt, sententiam Concilii, cui præest Petrus, sententiam esse Spiritus sancti. Et ibidem in fin. cap. legimus, Paulum quocumque ibat præcipere solitum, ut servarent decretum illius Concilii, id est, ut acquiescerent, et non vellent ipsi de sententia Concilii judicare.

Septimum est in epist. ad Galatas cap. II. *Ascendi, inquit Paulus, Hierosolymam cum Barnaba, et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem eis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem* (2). Quinam autem essent illi quibuscum contulerat, inferius explicat dicens, fuisse Petrum, Jacobum et Joannem. Quem locum explicantes Tertullianus lib. IV. in Marcion., B. Hieronymus in epist. 80. ad August., quæ est 11. inter epist. August., et Augustinus lib. XVIII. contra Faustum cap. 4. discrete affirmant, Ecclesiam non esse Paulo credituram, nisi ejus Evangelium a Petro confirmatum fuisset: ergo Petri erat tunc, et proinde successoris ejus nunc de doctrina Fidei judicare.

Octavum testimonium I. Cor. XII. *Alii datur per Spiritum sermo sapientie, alii sermo scientie, alii interpretatio sermonum, alii prophetia etc.* (3). Hic aperte dicitur, non dari omnibus Fidelibus spiritum interpretandi Scripturas.

Et præterea constat ex illo II. Petri I. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* (4), non posse sine spiritu interpretandi bene Scripturam exponi. Igitur evidenter colligitur, non esse judicem veri sensus Scripturæ ullum hominem privatum. Quid enim faciet, qui spiritum non habet? imo quis erit certus, se habere nunc spiritum, cum sciamus, non dari omnibus, et non sciamus quibus detur? Restat igitur, ut judicem agnoscamus solam Ecclesiam, de qua dubium esse non potest, quin habeat Spiritum Dei, et filios suos sine errore doceat, cum sit columna et firmamentum veritatis. Id quod etiam Lutherus in lib. De potest. Papæ his verbis confitetur: (quidquid alibi scripserit, ut miro modo varius et instabilis fuit) « De nullo privato homine certi sumus habeat necne revelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitare non licet etc. » Porro Ecclesia non aliter loquitur, quam per os Pastorum et Doctorum, ac præcipue in generali Concilio congregatorum. Quod Concilium vel Summum Pontificem habuerit præsentem, et præsidentem, vel confirmationem, atque approbationem ab eo meruerit obtinere.

At, inquit, ille est certus se habere, qui petit; scriptum est enim: *Quanto magis Pater vester de Cælo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Luc. XI. et Jacob. I. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus abundantem* (5). Respondeo: in his et similibus locis Dominum loqui non de spiritu interpretationis, qui est gratia quædam gratis data, sed de spiritu Fidei, Spei, Charitatis, et Sapientie necessarie ad salutem. Ut enim B. Augustinus docet tract. 73, 81. et 102. in Jo., non impetrat oratio infallibiliter, nisi id quod est necessarium, vel utile ad salutem ei, qui orat. Porro donum interpretandi, sicut donum linguarum et miraculorum, et alia ibidem enumerata, non semper sunt utilia ei, qui illa habet.

Sicut igitur spiritum loquendi linguis, vel faciendi miracula, non possumus semper impetrare, etiam si scriptum sit: *Dabit Spiritum bonum petentibus se*, ita nec spiritum interpretationis. Nam alioqui posset fieri, ut totum corpus Ecclesie esset unum membrum, id est, omnes essent oculi, omnes manus etc. contra Apostolum Roman. XII.

et I. Corinth. XII. Præterea etiamsi Dominus in illis locis loqueretur de dono interpretandi, adhuc non esset certus quicumque petit se illud habere, quia non est certus an bene petat; scriptum est enim: *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (1). Jacob. IV. Alioqui cum spiritum istum petant Lutherani, petant Anabaptistæ, petant Zwingliani; unde est quod diversissimos et inter se pugnantos spiritus accipiunt, si omnibus petentibus datur ille unus et verus Spiritus sanctus?

Nonnum testimonium est I. Joan. IV. *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetae exierunt in Mundum* (2). Spiritus hominum privatorum probandus est, an ex Deo sit; multi enim jactant Spiritum sanctum, qui agitantur spiritu vertiginis et mendacii, ut dicitur III. Reg. ult. II. Paralip. XVIII. Isaie XIX. et XXIX. igitur non potest privatus spiritus esse judex; quomodo enim erit judex, cum de ipso adhuc judicandum sit?

Quare si quis illud *Hoc est corpus meum* exponat per *Hoc significat corpus meum*, quia sic ei spiritus revelat, adhuc non est quæstio definita. Nam Joannes monet, ut illum spiritum probemus, an sit ex Deo, ne potius forte sit spiritus vertiginis. Non autem potest probari ex Scriptura, ut ipsi volunt, quia de Scripturæ ipsius sententia hoc loco dubitamus; ergo debet probari ex conformitate ad spiritum eorum, quos constat verum spiritum habere, tales autem sunt Prælati in Concilio legitime congregati. Legimus enim Act. XV. Concilium dixisse: *Visum est Spiritui sancto et nobis*: talis etiam est Pontifex ex cathedra docens, quem ostendimus semper a Spiritu sancto dirigi, ut errare non possit: tales etiam fuerunt Apostoli et antiqui Fideles, quos certum est, Spiritum sanctum habuisse.

Næque id Calvinus negare potest, quippe qui in hunc modum ratiocinatur in Institut. lib. I. cap. 9. §. 4. contra Swencfeldium, qui solum spiritum volebat judicem, repudiatis Scripturis. Si spiritus iste esset bonus, idem esset cum spiritu Apostolorum, et primorum Fidelium: at spiritus illorum non volebat esse judex, Scripturis contemptis. Sed ita etiam nos contra Calvinum et alios hæreticos argumentamur: Si spiritus ipso-

rum esset bonus, esset idem cum spiritu Apostolorum et primorum Fidelium: sed spiritus illorum non volebat esse judex, sed recurrebat ad Petrum et ad Concilium, et eorum sententiæ acquiescebat, ut supra ostendimus ex Actor XV. igitur spiritus istorum, qui se judicem constituit, non est spiritus bonus.

CAPUT VI.

Idem probatur ex consuetudine Ecclesie.

Probatur tertio ex praxi Ecclesie: nam in omnibus sæculis in Ecclesia exorta sunt nova dubia, et semper eodem modo terminata sunt, nimirum judicio Pontificis Romani, et Episcoporum qui tunc erant: non recte autem fieri, quod universa Ecclesia fecit semper et facit, dicere, aut scribere, insolentissima insaniam est, ut Augustinus ait in epist. 148.

Et nota, nos non tantum dicere, fuisse omnes causas judicatas per Pontificem Romanum et Episcopos, sed per Pontificem et Episcopos qui tunc erant. Nunquam enim propter ullam dubitationem judicandam creati sunt novus Papa et novi Episcopi: id quod dicimus propter Confessionistas, qui in confess. August. art. 28. fatentur, ad Episcopos pertinere discernere veram doctrinam a falsa. Sed cum petimus, cur ergo non acquiescant Concilio Tridentino? Respondent: istos, qui nunc sunt, non esse Episcopos, sed hostes Evangelii. At hoc idem dixerunt Ariani et alii omnes hæretici de Episcopis sui temporis: et tamen hoc non obstante, jam per 1500. annos semper dubia religionis explicata sunt ab Episcopis, qui secundum ordinariam successione erant in Ecclesiis, quando dubia illa exorta sunt: et qui non acquieverunt, hæretici sunt habiti.

Primo igitur Ecclesie sæculo, quod extenditur usque ad annum centesimum a Christo nato, orta est quæstio de caremoniis Legis veteris, an essent servandæ a Gentibus ad Christum conversis. Et sicut illa fuit prima quæstio in Ecclesia exorta, ita tunc celebratum est primum Concilium, presidente Pe-

(1) Act. XV. 28. — (2) Galat. II. 2. — (3) I. Corinth. XII. 8 et seq. — (4) II. Petri. I. 20. — (5) Luc. XI. 13.; et Jacob. I. 5.

(1) Jacob. IV. 3. — (2) I. Joan. IV. 1.

tro, et ejus Concilii decreto omnes acquieverunt, Actor. XV.

Secundo seculo, id est, usque ad annum ducentesimum, orta est questio de celebratione Pasche, quibusdam volentibus Pascha celebrare cum Judæis decimoquarto die primi mensis, sive esset dies Dominicus, sive non: alii autem tantum die Dominico. Constat autem propter hoc celebrata esse multa Concilia Episcoporum, et tandem a Victore Romano Pontifice ita terminatum, ut omnes Ecclesia Asia ab eodem excommunicatæ fuerint, quod adhuc in errore persistere. Scribit historiam totam Eusebius lib. V, histor. cap. 23. et 24. Postea vero, non solum excommunicati, sed etiam hæretici habiti sunt, qui decreto Pontificis non obediunt. Hinc enim apud Epiphanium hæres. 50. Augustinum hæres. 29. et Tertullianum de præscript. in fine, inter hæreticos numerantur Quartodecimani.

Tertio seculo, id est, post annum 200. orta est hæresis Novatianorum, qui negabant, Ecclesiam posse absolvere a peccatis eos, qui post Baptismum lapsi erant. Explicata autem fuit veritas per Concilium Romanum, cui Cornelius Papa præerat, ut refert Eusebius ex versione Rufini lib. VI, hist. c. 33. et deinceps Novatiani semper inter hæreticos habiti sunt. Eodem seculo orta est questio de Anabaptismo: et quidem cum varii sentirent, Cornelius Romæ Concilio habito decrevit, non esse rebaptizandos, qui ab hæreticis baptizati essent, ut Eusebius refert lib. VII, hist. c. 2. et postea etiam Stephanus Papa scripsit, et præcepit, ut non rebaptizarentur, qui ab hæreticis secundum formam Ecclesiæ baptizati essent. Cujus decreti meminit Cyprianus in epist. ad Pompeium, et B. Augustinus lib. V. De Baptis. cap. 23. et Vincentius Lirinensis in suo Commentario.

Quarto seculo post annum 300. orta est hæresis Arianorum, quæ quidem per Concilium Nicænum generale sublata est. Porro in eo Concilio 318 Episcopi fuerant, et ii soli iudices fuisse leguntur una cum Legatis Romanæ Sedis Vito et Vincentio Presbyteris, qui cum Hosio Episcopo Cordubensi, Concilio præerant nomine Sylvestri Papæ, et postea adhuc totum Concilium per epistolam a Sylvestro confirmationem petiit: Imperator autem aderat quidem, sed nulla

in re iudicem egit. Hæc omnia patent, tum ex I. Tom. Conciliorum, tum ex historicis, Eusebio lib. III, De vit. Constant., Rufino, Sostrate, Sozomeno, Theodoro lib. I, hist. Eccl.

Eodem seculo hæresis Macedonii contra Spiritum sanctum iudicata et condemnata est per Concilium Constantinopolitanum, quod a Damaso confirmatum fuisse testatur Photius in libro De septem Synodis, qui liber excudi solet ad initium primi Tomi Conciliorum.

Quinto seculo hæresis Nestorii condemnata est in Concilio Ephesino I, preside Cyrillo nomine Coelestini Papæ, ut Evagrius testatur lib. I, cap. 4. Et paulo post hæresis Eutycheus in Concilio Chalcedonensi, præsentibus Legatis Papæ Leonis, ut Evagrius testatur lib. II, cap. 4. et hujus etiam Synodi petita est a Pontifice Romano confirmatio, et nec in ista, nec in illa ullam subscriptionem legimus Imperatoris, aut Laicorum quorumlibet, sed tantum Ecclesiasticorum. Vide tomum 1 et 2. Conciliorum, et Breviarium Liberati.

Eodem seculo damnata est hæresis Pelagianorum, quam Lutherani præ cæteris videntur odisse, sed a Pontificibus Romanis damnata est. Sic enim Augustinus ait: « Pelagiana hæresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est. (1) » Et in Chronico Prosper anno 420. « Concilio », inquit, « apud Carthaginem habito amplius 217 Episcoporum, ad Papam Zosimum synodalia decreta perlata sunt, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. »

Sexto seculo multæ hæreses damnatae sunt in V Synodo, in qua etiam soli Episcopi fuerunt iudices.

Septimo seculo damnati sunt Monothelita in VI Synodo generali, cui præerant Legati Romani Pontificis, et Imperator quidem interfuit, et subscripsit, sed post omnes Episcopos, et non iudicando, vel definiendo, ut Episcopi subscribebant, sed tantum consentiendo.

Octavo seculo damnati sunt Ieonomachi in VII Synodo, qui præerant etiam Legati Romani Pontificis, et nulla in eo legitur subscriptio Laicorum. De his Synodis lege

Tomos Conciliorum, et librum Photii de septem Synodis.

Nono seculo controversiæ quædam Ecclesiasticæ definitæ sunt in VIII Synodo, cui præerunt etiam Legati Romani Pontificis. Imperator aderat, et subscripsit quidem post Legatos Pontificis et Patriarchas, sed ibidem discrete affirmavit, ad se non pertinere iudicium rerum divinarum, sed tantum subscribere in signum consensus etc., cuius verba paulo post adfereamus.

Decimo seculo quod omnium est obscurissimum, nulla exorta est hæresis, et propterea etiam nullum legimus celebratum Concilium: schisma tamen, et error Græcorum, quæ paulo ante coeperant, hoc seculo maxime vigeabant, de quorum damnatione mox dicemus.

Undecimo seculo hæresim Berengarii damnavit Leo IX, in Concilio Vercellensi, et Nicolaus II, in Concilio Romano, ut Lanfrancus et Guilmundus referunt lib. I, contra Berengarium.

Duodecimo seculo damnata est hæresis Petri Abailardi ab Innocentio II, ut est in epistolis B. Bernardi epist. 194. Item damnatus est error Gilberti Porretani ab Eugenio III, in Concilio Remensi, teste B. Bernardo ser. 80. in Cantica.

Decimotertio seculo damnatus est error Joachimi Abbatís ab Innocentio III, in Concilio generali Lateranensi. Et postea error Græcorum a Gregorio X, in Concilio Lugdunensi generali. Unde exstat cap. Fidei, de summa Trinit. et Fide catholica, in sexto.

Decimoquarto seculo damnati sunt errores Begardorum in Concilio Viennensi a Clemente V. Unde exstat cap. *Ad nostram*, in Clementina de hæreticis.

Decimoquinto seculo damnati sunt errores Joannis Wicleff, et Joannis Hus in Concilio Constantiensi, preside Martino V. Et rursus errores Græcorum in Concilio Florentino sub Eugenio IV.

Denique hoc nostro seculo decimosexto damnati sunt errores Lutheranorum in Concilio Tridentino confirmato a Pio IV. Inveniant jam ipsi unum exemplum antiquitatis, quo probent, aliquem novum errorem vere habitum pro errore in Ecclesia, et tamen non damnatum a Pontifice, sed ab Imperatore, vel alio Principe seculari: aut dicant si possunt, quinam unquam de sententia Conciliorum a Romano Præsule approbato-

rum iudicare ausi fuerint, et non continuo hæretici ab Ecclesia Catholica habiti sint.

CAPUT VII.

Idem probatur testimoniis Pontificum et Imperatorum.

Accedant quarto loco testimonia veterum Pontificum, et veterum Imperatorum, id est, auctorum utriusque Juris. Damasus in epist. 3. ad Stephanum, Innocentius I, in epist. ad Concil. Carthaginens. et Milevit., quæ sunt apud Augustinum 91. et 93. Leo I, in epist. 84. ad Anastas. et 89. ad Episcopos Viennensis provinciæ, Gelasius in epist. ad Episc. Dardan. Gregorius lib. IV. epist. 52. ad Episc. Galliæ (ut etiam posteriores) docent, causas graviores, et præsertim Fidei, ad iudicium Sedis Apostolicæ pertinere: et ad hoc citat Julius in epist. 2. decretum Nicæni Concilii.

Jam Imperatores idem senserunt. Tempore Aureliani Imperatoris, cum esset questio inter Catholicos, et Paulum Samosatenum hæreticum de domo Ecclesiæ, Imperator licet gentilis respondit, et jussit illi dari Ecclesiam, cui scriberent Italiæ Sacerdotes, et Episcopus Romanus: nimirum odoctus a suis, Episcopum Romanum esse iudicem supremum Christianarum causarum. Ita scribit Eusebius lib. VII, hist. cap. 26.

Constantinus, teste Eusebio lib. III, De vit. Constant. cap. 12. in Concilio Nicæno non prius assedit, quam Episcopi ut sederet annuissent. Quo signo satis indicavit, se non esse præsentem Concilii. Deinde finito Concilio scripsit epistolam omnibus Ecclesiis, quam Eusebius ibidem totam ponit, in cuius fine sic ait: « Quæ cum ita se habeant, libentibus animis hoc decretum Concilii, tanquam donum Dei, et mandatum revera coelitus demisum amplectamini. Nam quidquid in sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id universum divinæ voluntati debet attribui. »

De eodem sic loquitur B. Ambrosius epist. 32. Constantinus, inquit, « nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus. » De quo etiam Augustinus in epist.

(1) Retract. Lib. II, Cap. 50.

162. c. 7. testatur, quod cum Donatistæ vel-
lent ab ipso iudicari causam suam, ipse eos
remisit ad suum iudicem proprium, id est,
Melchiam Papam, et cum illi appellasset
a sententia Pontificis ad ipsum Imperato-
rem: « Dedit ille », inquit Augustinus, « aliud
Arelatense iudicium », (aliorum scilicet
Episcoporum) « non quia jam necesse erat,
sed eorum perversitatibus cedens ». Neque
enim ausus est Christianus Imperator sic
eorum tumultuosas et fallaces querelas sus-
cipere, ut de iudicio Episcoporum qui Romæ
sederant, ipse iudicaret.

Gratianus Imperator sic loquitur in epist.
ad Episcop. Aquileien., quæ lecta est in
Concilio Aquileiensi: « Neque controversiæ
dubiæ sententiæ rectius poterant experiri »
(expediri fortasse) « quam si obortæ alter-
cationis interpretes ipsos constituissimus
Antistes, ut videlicet a quibus proficiscun-
tur institutæ doctrinæ, ab eisdem discordis
eruditionis repugnantiæ solveretur ». Quæ
verba Ambrosius in Concilio illo sic inter-
pretatus est: « Ecce: » inquit, « quod Chris-
tianus constituit Imperator. Noluit injuriam
facere Sacerdotibus, ipsos interpretes con-
stituit Episcopos. »

Theodosius junior in epist. ad Synod.
Ephesin., quam etiam citat Nicolaus I. in
epist. ad Michaëlem: « Deputatus », inquit,
« est Candidianus, magnificus comes strenuo-
rum domesticorum, transire usque ad sanc-
tissimam vestram Synodum, ac in nullo
quidem quæ faciendæ sunt de piis dogmati-
bus questiones communicare: illicitum
namque est, eum qui non sit ex ordine sanc-
tissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis im-
misceri tractatibus. »

Martianus Imperator, I. Nemo C. de sum-
ma Trinitate et Fide catholica: « Injuriam »,
inquit, « facit iudicio Reverendissimæ Sym-
modi, qui semel iudicata revolvare et dis-
putare contendat. »

Valentinianus senior, ut scribit Sozome-
nus libro VI histor. cap. 7. rogatus, ut per-
mitteret Synodum congregari ad quadam
Fidei dogmata explicanda, sic respondit:
« Mihi », inquit, « qui sum in sorte plebis,
fas non est talia curiosius perscrutari. Sa-
cerdotes, quibus ista curæ sunt, inter seip-
sos quocumque voluerint loco conveniant. »

Basilius Imperator in VIII Synodo act. X.
sic loquitur: « De vobis autem », inquit,

« laicis, tam qui in dignitatibus quam qui
absolute conversamini, quid amplius dicam
non habeo, quam quia nullo modo vobis li-
cet de Ecclesiasticis causis sermonem mo-
vere: neque penitus resistere integritati
Ecclesiæ, et universali Synodo adversari.
Hoc enim investigare et querere, Patriar-
charum, Pontificum et Sacerdotum est, qui
regiminis officium sortiti sunt, qui sanctifi-
candi, qui solvendi, et ligandi potestatem ha-
bent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claves;
non nostrum qui pasci debemus, qui sanctifi-
ficari, qui ligari, vel a ligamento solvi ege-
mus ». Ibidem dicit idem Imperator, Impera-
tores alios prædecessores suos, Constantinum,
Theodosium, Martianum, et alios nunquam
in Synodis subscripsisse, nisi post omnes
Episcopos.

Denique de Theodorico Rege Gothorum,
cui Ariano, in IV Synodo Romana sub Sym-
macho Papa sic legimus: « Ad hæc Serenis-
simus Rex taliter, Deo aspirante, respondit:
In synodali esse arbitrio in tanto negotio
sequenda præscribere, nec aliquid ad se
præter reverentiam de Ecclesiasticis nego-
tiis pertinere. »

CAPUT VIII.

Idem probatur testimoniis Patrum.

Probatum quinto testimoniis Patrum Græ-
corum et Latinorum. Irenæus docet, con-
troversias non posse fini ex solis Scripturis,
quia varie ab hæreticis exponuntur, et dein-
de docet, fini debere controversias ex do-
ctrina Romanæ Ecclesiæ: « Ad hanc », in-
quit, « Ecclesiam propter potentiorum prin-
cipalitatem necesse est omnem convenire
Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique
fideles, in qua semper ab his qui sunt un-
dique conservata est ea, quæ est ab Apo-
stolis traditio. » (1)

Athanasius in epist. ad solitar. vit. agent.,
loquens de Imperatore Constantio Ariano,
qui aliquod iudicium sibi in Conciliis usur-
pabat: « Quando », inquit, « a condito ævo
auditum est? quando iudicium Ecclesiæ
auctoritatem suam ab Imperatore accepit?

aut quando unquam hoc pro iudicio agni-
tum est? Plurimæ antea Synodi fuere: multa
iudicia Ecclesiæ habita sunt. Sed neque Pa-
tres istiusmodi res Principi persuadere con-
nati sunt, nec Princeps se in rebus Eccle-
siasticis curiosum præbuit ». Et infra:
« Quis », inquit, « videns eum in decernendo
Principem se facere Episcoporum, et præ-
siedere iudiciis Ecclesiasticis, non merito
dicat, istud illam ipsam abominationem de-
solationis esse, quæ a Daniele prædicta est? »
Basilius in epist. 62. ad Athanas. dicit: vi-
deri sibi bonum, ut quando Synodus tunc
fieri non poterat, scriberent ad Romanum
Pontificem, ut ipse auctoritate sua mitteret
aliquos in Orientem, qui acta Concilii Ari-
minensis dissolverent.

Gregorius Nazianzenus in Oratione, qua se
excusat, quod diu ab Ecclesiastica functione
abstinuerit: « Vos », inquit, « oves nolite
pascere pastores, neque super terminos
eorum elevamini: satis enim est vobis, si
recte pascimini. Nolite iudicare iudices, nec
legem feratis legislatoribus, etc. » Quomodo
autem non iudicat iudices, et pascit pasto-
res, qui de sententia Concilii, vel summi
Pontificis iudicare præsumit? Et ne putes a
Gregorio excipi Præsides, idem in Oratione
ad suos cives timore perculsos, et Præsidem
irascens: « Num vocem », inquit, Præsidem
alloquens, « suscipitis liberam? et quod lex
Christi vos meæ potestati meoque subiecit
tribunali? Imperamus enim et ipsi, addo, et
imperio majori et perfectiori; suscipe igitur
vocem liberiores, scio te ovem esse gregis
mei, etc. » Chrysostomus hom. ult. in Jo.
dicit: Petrum toti orbi magistrum a Christo
præpositum. Cyrillus in thesauro, ut B.
Thomas citat in Opuse. I. cont. error. Græc.:
« Ostenditur quod ad dictum Pontificem
Romanum pertineat quæ Fidei sunt determi-
nare; dicit enim Cyrillus in lib. Thesaur.
Ut membra maneamus in capite nostro apos-
tolicæ Throno Romanorum Pontificum, a
quo nostrum est querere, quid credere, et
quid tenere debemus. » Vide etiam Damas-
cenum in 1, et 2. orat. pro imaginibus.

Ex Latinis Tertullianus lib. de præscript.
hæret. pulchre deducit id quod volumus.
Primo enim docet, non debere cum hæreti-
cis disputari ex Scripturis: quia cum pos-
sesso, et intelligentia vera Scripturarum sit
Ecclesiæ Catholicæ, prius debet constare,
quæ sit vera doctrina Ecclesiæ, et tunc ex
illa intelligendæ sunt Scripturæ. Quæ sit

autem vera doctrina Ecclesiæ, non potest
tutus quæri, quam in Ecclesiis Apostolicis,
quarum præcipua est Romana. Nam Deus
doctrinam veritatis Christo tradidit, Christus
Apostolis, Apostoli successoribus suis. Hæc
ille in summa. Cyprianus lib. I. epist. 3.
« Neque enim aliunde hæreses oborta sunt,
aut nata sunt schismata, quam inde, quod
Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus
in Ecclesia ad tempus Sacerdos, et ad tem-
pus iudex vice Christi cogitur etc. » Nam
ante definitionem Pontificum licet de dubiis
rebus sine vitio hæresis utramvis partem te-
nere: at post definitionem qui non obtem-
perant, fiunt hæretici.

Ambrosius epist. 32. ad Imperatorem Val-
entinianum juniorem, qui ab Ariano deprava-
tus volebat de rebus Fidei iudicare: « At
certe, inquit, si vel Scripturarum seriè di-
vinarum, vel vetera tempora retractemus,
quis abnuat, in causa Fidei; in causa, in-
quam, Fidei Episcopos solere de Imperato-
ribus Christianis, non Imperatoribus de Epi-
scopis iudicare? Eris, Deo favente, etiam se-
nefuitis maturitate provector, et tunc de
hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui
laicis jus Sacerdotale substernit. Pater tuus
vir maturioris ævi dicebat: Non est meum
iudicare inter Episcopos: tua nunc dicit
Clementia: Ego debeo iudicare. » Et infra:
« Si conferendum de Fide, Sacerdotum debet
esse ista collatio, sicut factum est sub
Constantino augustæ memoriæ Principe, qui
nullas leges ante præmisit, sed liberum de-
dit iudicium Sacerdotibus. Factum est etiam
sub Constantio augustæ memoriæ Imperato-
re, paternæ dignitatis hæredæ. Sed quod bene
cœpit, aliter consummatum est. Nam Epi-
scopi sinceram primo scripserant Fidem:
sed dum volunt quidam de Fide intra Pala-
tium iudicare, id egerunt, ut circumscriptio-
nibus illa Episcoporum iudicia mutarentur. »
Nota Lector hæc ultima verba: laici enim
in domo Principis, dum volunt de sententia
Episcoporum iudicare, in errorem incidere
meruerunt.

Hieronymus in epist. ad Damas. de nom.
hypost. « Decernite, inquit, si placet, obse-
cro, non timebo tres hypostasas dicere, si
jubetis. » Et infra: « Obtestor beatitudinem
tuam per crucifixum, Mundi salutem, per
hypostasas Trinitatem, ut mihi epistolis tuis
sive facendarum, sive dicendarum hyposta-
seon detur auctoritas. » Idem petit epistola
sequenti. Et nota, Hieronymum fuisse longe

(1) Adv. hæres. Lib. III, Cap. 3.

doctiorem Damaso, ut patet ex tot questionibus Scripturarum, quas Hieronymus Damaso explicavit : et tamen cum agitur de iudicio Fidei, ut aliquid definiatur, Hieronymus totum iudicium tribuit Damaso Pontifici, Sulpitius lib. II sac. hist. refert, S. Martinum Maximo Imperatori aliquando dixisse: Novum esse et inauditum nefas, quod causam Ecclesie iudex sæculi iudicaret.

Augustinus cont. Crescon. « Quisquis falli metuit hujus obscuritate questionis, Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta Scriptura demonstrat (1). » Et epistol. 106 ad Paulin., loquens de epistolis Innocentii, in quibus disertè positum erat, ad sedem Apostolicam pertinere iudicium de rebus Fidei, sic ait : « Ad omnia nobis ille rescripsit, eo modo quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem. » Et lib. cont. epist. fundam. cap. 5. « Ego vero, inquit, Evangelio non crederem, nisi me Ecclesie Catholicæ commoveret auctoritas. »

Respondet Calvinus : loqui Augustinum de quadam persuasione privata Fidelium, qua nonnulli convertuntur ad Fidem; ut sensus sit : « Ego Evangelio non crederem, id est, ego nunc non essem Christianus, nisi me commovissent suis persuasionibus Christiani. » At frigida est ista solutio : nam in primis de præsentii loquitur Augustinus cum dicit : « Nisi me commoveret auctoritas Ecclesie. » Deinde paulo infra : « Quibus, inquit, præcipientibus Evangelio credidi, his iuventibus tibi omnino non credam. » Ubi non suasionem, sed imperium tribuit Ecclesie. Et infra, loquens de libro Actorum Apostolicorum : « Cui libro, inquit, necesse est, me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat auctoritas. » Idem in proem. lib. de doct. Christ. quasi prævidens spiritum istum privatam, qui dignatur habere præceptorem. « Caveamus, inquit, tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus centurionem Cornelium : quamvis exauditas orationes ejus, eleemosynasque respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum. Et certe Spadonem illum, qui Isaiam Prophetam legens non intelligebat, neque ad Angelum Apostolus misit, nec ei per Angelum id quod non intelligebat expositum,

(1) II. Paralip. XVIII. 33.

aut divinitus in mente sinè hominis ministerio revelatum est etc. »

Prosper in lib. cont. Collat. in fine, non aliter probat, Pelagianos vere esse hæreticos, quam quia damnati fuerant a Romanis Episcopis, Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino. Vincentius Lirinensis in suo Comment. cap. 2 : « Hinc, inquit, forsitan requirat aliquis, cum sit perfectus Scripturarum canon, quid opus est, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quod homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetiæ et Apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiasticæ et Catholici sensus normam dirigatur etc. » Normam autem sensus Catholici, ibidem aperte ostendit esse Conciliorum decreta, consensionem Patrum, et similia.

Gregorius lib. VI. epist. 25 : « Nobis, inquit, notum est, piissimos dominos disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, et se in causis sacerdotalibus non miscere. » Anselmus in lib. de incarn. Verbi cap. 1. sic Urbanum Romanum Pontificem alloquitur : « Quoniam, inquit, divina providentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam et Fidem Christianam custodiendam, et Ecclesiam suam regendam committeret; ad nullum alium rectius refertur, si quid contra Catholicam Fidem oritur in Ecclesia, ut ejus auctoritate corrigatur etc. »

Bernardus epist. 190. ad Innocent. Papam II : « Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, et scandala emergentia in regno Dei, ac præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. » Et infra : « Tempus est, ut vestrum agnoscat, Pater amantissime, principatum, probetis zelum, ministerium honoretis. In eo plane Petri impletis vicem, ejus tenetis et sedem, si vestra admonitione corda in Fide fluctuantia confirmatis, si vestra auctoritate conteritis Fidei corruptores. » Et epist. 189. « Dicebam, sufficere scripta ejus ad accusandum eum, nec mea referre, sed Episcoporum,

quorum esset ministerii de dogmatibus judicare. »

CAPUT IX.

Idem probatur ex ratione.

Probatur ultimo ratione. Non ignorabat Deus, multas in Ecclesia exorturas difficultates circa Fidem; debuit igitur iudicem aliquem Ecclesie providere : at iste iudex non potest esse Scriptura, neque spiritus revelans privatus, neque Princeps sæcularis ; igitur Princeps Ecclesiasticus, vel solus, vel certe cum consilio et consensu Coepiscoporum : nec enim fingitur, neque potest fingi aliquid aliud, ad quod hoc iudicium pertinere posse videatur. Ac primum, non esse iudicem Scripturam, planum est, quia variis sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus. Præterea in omni Republica bene instituta et ordinata, lex et iudex distinctæ res sunt. Lex enim docet, quid agendum, et iudex legem interpretatur, et secundum eam homines dirigit. Denique de Scriptura interpretatione questio est : non autem se ipsa interpretari potest.

At, inquirunt, ex collatione variorum locorum facile potest a quovis linguarum perito erui verus sepsus. Sed quid, si multi sint linguarum periti, et eadem loca inter se conferant, et tamen adhuc convenire non possint : quis tum erit iudex? certe multi Lutheranorum, multi item Zwinglianorum linguarum periti fuerunt, et Scripturas inter se magno labore contulerunt, et tamen in explicatione illius sententiæ : *Hoc est Corpus meum*, convenire nunquam potuerunt. At Zwingliani, dicit Lutheranus, excecatis sunt, proinde nihil mirum, si clarissima Domini verba non intelligant. Sed quid, si Zwinglianus Lutheranos excecatos dicat, quis erit iudex?

Quod autem Spiritus revelans univique privato homini iudex esse non possit, facile demonstratur. Siquidem ille, qui est in te, a me neque videtur, neque auditur : iudex debet videri et audiri ab utraque parte litigante; nam tales sunt qui contendunt, ni-

mirum homines corporales, si enim spiritus essemus, forte sufficeret iudicium spiritus. Præterea in Republica temporali omnes homines habent verum lumen naturale, quo lex condita est, et quod sufficit ad eam exponendam, et tamen nunquam permittitur legis interpretatio privato iudicio uniuscujusque : et si permitteretur, diu Republica durare non posset; quanto ergo minus permittenda est Scripturæ interpretatio iudicio uniuscujusque, cum non habeant omnes verum illud supernaturale lumen, quo Scriptura condita est, et quod est necessarium ad eam recte intelligendam.

Præterea, iudex debet habere auctoritatem coactivam, alioqui nihil prodesset ejus iudicium : at privati homines nullam habent talem auctoritatem. Item plurimi sunt adeo rudes et imperiti, ut ipsimet fateantur, se nullo modo posse iudicare de questionibus Fidei, et tamen etiam illi salvari possunt; non est igitur necesse, ut omnes iudicent.

Denique, si spiritus iste revelans privatus esset iudex, præcluderetur via conversioni hæreticorum, nec ullæ controversiæ unquam terminari possent. Nam nemo est hæreticorum, qui spiritum non jactet, et qui spiritum suum non præponat spiritibus aliorum, et sicut II Paral. XVIII cum diceret Michæas Propheta Domini se loqui in nomine Domini, Pseudoprophetas autem agitari spiritu mendacii; respondit ei Sedecias Pseudopropheta : *Per quam viam pertransivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi (1)?* Ita si Catholicus diceret : Spiritus ita mihi revelat, responderet hæreticus; et per quam viam? etc.

Quod autem non sit Princeps sæcularis iudex, probatur. Nam nihil potest ultra virtutem a causis suis acceptam : causæ autem principatus sæcularis humanæ et naturales sunt; nam efficiens est electio populi, finis est pax, et tranquillitas temporalis Reipublicæ; igitur non habet virtutem, neque auctoritatem Princeps ut talis, nisi humanam, qualem populus dare potuit, et qualis requiritur ad conservandam temporalem pacem. Cujus signum est, quod etiam sine Ecclesia sunt veri Reges, et Principes temporales; et sine illis esse potest vera Ecclesia, ut in orbe Romano primis tracentis annis.

Neque obstat, quod Rom. XIII dicitur : *Non est potestas nisi a Deo, et qui potestati re-*

(1) II. Paralip. XVIII. 23.

sistit, Dei ordinationi resistit (1). Nam non vult Apostolus dicere, regiam potestatem esse immediate a Deo, sed mediate, quia Deus instinctum illum naturalem posuit in hominibus, ut crearent sibi Regem: sicut etiam leges humanæ dici possunt a Deo, quia fiunt lumine naturali, quod Deus in mente humana in creatione impressit. At principatus Ecclesiasticus causas habet divinas et supernaturales: nam efficiens immediate est Deus, neque enim Pontifex ab Ecclesia auctoritatem habet, sed a Christo, qui dixit ei: *Pasce oves meas*, Jo. ult. Et: *Tibi dabo claves regni caelorum* etc. Matth. XVI(2). Finis autem est aeterna beatitudo.

Quocirca extra Ecclesiam non invenitur verus Pontifex, nec veri Sacerdotes, nec sine his esse potest Ecclesia. Et hinc Nazianzenus in oratione ad cives timore percussos; Chrysostomus in hom. 4. in verba Isaiae, et Ambrosius, lib. de dignit. sacerdot. c. 2. dicunt, Episcopum tanto esse majorem Rege, quanto spiritus carni, coelum terrae, aurum plumbo praestat. Et propterea etiam pontificatus, et sacerdotium per se ad Ecclesiam pertinent: principatus autem temporalis per accidens. Igitur cum res Fidei definire, et Scripturas divinas interpretari sit actus spiritualis Ecclesiasticus, certe non ad Principem temporalem, sed ad spirituales et Ecclesiasticum pertinet.

CAPUT X.

Solvuntur objectiones.

At obijciunt primo illud Isai. LIV: *Dabo universos filios tuos doctos a Domino*(3). Respondeo: non loquitur Isaias de spiritu privato revelante, sed vel loquitur de doctrina Evangelii, quam Deus ipse, id est, Christus praedicavit et docuit, ut exponit hoc loco Cyrillus, ut sensus sit: « Populum Christianum non docebo per Prophetas, sed per meipsum, » juxta illud Hebr. I: *Multi fariam, multisque modis*, etc. Vel (quae est subtilior et germanior expositio) loquitur de gratia Spiritus sancti, quae homo interior a Deo movetur, et

suaviter impellitur ad credendum et amandum, ut exponit B. Augustinus lib. de graf. Christi, c. 12, 13 et 14. Itaque non est sensus, omnes Christianos intellecturos divina revelatione omnia arcana Scripturarum, sed tales futuros ut non solum audiant magistrum exterius explicantem verbum Dei, sed etiam audiant intus magistrum Deum suadentem, ut faciant quod audiunt. Nam fit concio, omnes audiunt, et intelligunt quod dicitur: sed unus credit, alius non credit: unus convertitur a peccato ad penitentiam, alius non convertitur: illi priores dicuntur docti a Deo, illi posteriores non item. In hunc sensum protulit ex hoc loco testimonium Dominus Jo. VI: *Est, inquit, scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me*(4). Et Apostolus I Thess. IV: *De charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim a Deo didicistis, ut diligatis invicem*(5).

Secundum argumentum Hierem. XXXI: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et non docebit ultra vir proximum suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum, usque ad maximum*(6).

Respondeo cum Augustino lib. de spirif. et lit. c. 24. illis verbis *Dabo legem meam* etc. significari gratiam Testamenti novi, id est, Fidem per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solum sciamus, sed etiam impleamus divina mandata: illis autem *Et non docebit ultra* etc. significari praemium Fidei, id est, beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem.

Si tamen quis contendat, etiam ista ultima verba de hoc tempore intelligenda esse; responderi potest: hic non loqui Prophetam de mysteriis absconditis Scripturarum, sed de cognitione unius Dei. Cum enim tempore Testamenti veteris non solum Gentiles adorarent Deos falsos, sed etiam frequentissime populus Dei ad idola et Deos alienos converteretur; praedixit Hieremias futurum, ut tempore novi Testamenti omnes homines cognoscant unum Deum, quod certe nunc impletum cernimus. Nam Gentiles conversi sunt ad Fidem, et ipsi etiam Judaei et Turcae, licet impii sint, tamen unum Deum colunt.

(1) Rom. XIII, 2. — (2) Joan. XXI, 15 et seq.; Matth. XVI, 19. — (3) Isai. LIV, 13. — (4) Joan. VI, 45. — (5) I. Thess. IV, 9. — (6) Jerem. XXXI, 33.

Tertium argumentum Matth. XXIII: *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester*(1). Igitur solo interno Doctore debemus esse contenti. Respondeo: non prohibet Dominus nomen et officium magistri, sed ambitionem et affectationem illius honoris. Nam II Timothi. I, Apostolus vocat se doctorem et similium rerum execratur. Praeterea in illo c. XXIII, Dominus reprehenderat Scribas et Phariseos, quod amarent primas cathedras, et salutari ab hominibus, Rabbi. Et ibidem dicit: *Et nolite vocare patrem super terram, cum lamen certo certius sit, non prohiberi nomen, aut officium patris, sed nimium affectum erga parentes.*

Quartum argumentum Jo. V. *Ego testimonium ab homine non accipio*(2); nec verbum igitur Dei accipit testimonium a verbo hominis: sed Pontifex et Concilium homines sunt; igitur eorum testimonio Scripturae non egent, sed per se sufficiunt ad omnes controversias dirimendas.

Respondeo: Christus non eguit testimonio hominum pro se, quia majora testimonia habebat, sed tamen testimoniis hominum utebatur propter alios. Jo. I: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Et Jo. XV: *Vos testimonium perhibetis quia ab initio mecum estis*(3). Actor I: *Eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Judea*(4). Denique Martyres cur dicuntur Martyres, nisi quia testes Christi fuerunt. Cum ergo Dominus ait: *Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati: ego autem, Jo. V, non ab homine testimonium accipio, sed hoc dico, ut salvi sitis*; sensus est: *Ego profero vobis Joannis testimonium, quod vos ipsi quaesivistis, non quod ego indigeam pro me, sed quia utile est vobis, ut facilius credatis*. Ad eundem modum, Scriptura pro se non eget hominum testimonio, sive enim intelligatur, sive non, in se verissima est, tamen propter nos eget testimonio Ecclesiae, qui alloqui non sumus certi qui sint libri vere sacri ac divini, nec quae sit eorum vera ac germana intelligentia.

Quintum argumentum Jo. VII: *S quis voluerit voluntatem ejus facere qui misit me, agnoscat de doctrina mea, utrum ex Deo sit*(5). Non ergo praeter spiritum dilectionis Dei requiritur aliud magisterium ad Scripturas intelligendas.

Respondeo: non hoc dicit Dominus, ut ostendat, omnes viros bonos per se intelligere posse omnia loca Scripturarum, sed ut doceat, viros probos carere impedimentis quibusdam, propter quae alii quidam, nec per se, nec per alios Fidei veritatem intelligere possint: nam cupiditas gloriae, et pecuniarum, et similia rerum excecant oculos. Unde Jo. V. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Et Luc. XVI: *Audiebant haec omnia Pharisei, qui erant avari, et deridebant eum*(6).

Sextum argumentum Jo. X: *Oves meae vocem meam audiant, et sequantur me*(7); igitur non egemus alio praepatore. Respondeo: loquitur Dominus de praedestinati, ut hic exponit Augustinus, qui ante mortem omnino audiunt vocationem Dei, et eam sequuntur perseverantes usque ad mortem; neque est hic sermo de difficultatibus Scripturarum. Quod si etiam ageretur de Scripturarum intelligentia, diceremus, Christum loqui suis ovibus multis modis, per Scripturam, per internam inspirationem, et apertissime per os Vicariorum suorum, de quibus dixit Lucae X: *Qui vos audit, me audit*(8). Nec enim cum Dominus ait, *oves meae vocem meam audiant* exclusit vicarios, sed hostes suos. Sic enim ibidem ait: *Alienum autem non sequatur*. Et, *Non audiant vocem alienorum*(9).

Septimum argumentum Actor. XVII, Beronensis scrutabantur Scripturas, an ita se haberent, quae Paulus praedicabat: si ergo licuit hominibus illis, haud dubie laicis, examinare verba Pauli, cur non liceat nobis examinare verba Papae, et Conciliorum? Respondeo: etsi Paulus erat Apostolus, et non poterat falsam doctrinam praedicare, tamen non constabat hoc initio Beronensibus, nec tenebantur mox credere, nisi prius viderent miracula, aut alias probabiles rationes credendi. Itaque cum Paulus probaret illis Christum ex oraculis Prophetarum, merito illi scrutabantur Scripturas, an haec ita se haberent. At Christiani, quibus constat Ecclesiam non posse errare in explicanda doctrina Fidei, tenentur eam recipere, et non dubitare, an haec ita se habeat.

Addo etiam, quod etsi haereticus peccat dubitando de auctoritate Ecclesiae, in quam

(1) Matth. XXIII, 8. — (2) Joan. V, 3, 4. — (3) Joan. I, 7; XV, 27. — (4) Act. I, 8. — (5) Joan. VII, 17. — (6) Joan. V, 44; Luc. XVI, 14. — (7) Joan. X, 27. — (8) Luc. X, 16. — (9) Joan. X, 5.

per Baptismum regeneratus est, neque est eadem conditio hæretici, qui semel Fidem professus est, et Judæi aut Ethnici qui nunquam fuit Christianus: tamen posito hoc dubio, et hoc peccato, non male facit scrutando, et examinando, an loca Scripturæ et Patrum a Concilio Tridentino prolata ita se habeant, modo id faciat intentione inveniendi veritatem, non calumniandi. Deberet quidem ille sine examine recipere doctrinam Ecclesiæ: tamen melius est, ut examinando prepararetur ad veritatem, quam negligendo remaneat in suis tenebris.

Octavum argumentum Rom. XII: *Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ dantur nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem Fidei, sive ministerium in ministrando, etc.* (1) Hic Apostolus docet, donum prophetiæ, id est, interpretationis Scripturarum, haberi secundum rationem, Græce *λογισμῶ* Fidei, id est, secundum mensuram, et proportionem Fidei; igitur non debet peti Scripturæ interpretatio a Papa vel Concilio, sed ab eo, qui magis Fide abundat, quicumque ille sit.

Respondeo: posset primo negari consequentia: nam Papa, et Concilium magis abundat Fide, quam ullus homo privatus, cum nec Papa ut docet ex cathedra, nec Concilium in Fide errare possit: omnis autem homo privatus possit. Secundo posset dici, prophetiam hoc loco non accipi pro interpretatione Scripturæ, sed proprie pro dono prædicendi futura, ut exponunt Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Thomas, et alii hoc loco, et Chrysostomus in I. Corinth. XII. Sed tertio dico, quomodocumque sumatur prophetia, sive pro dono prædicendi futura, sive pro dono interpretandi, ex hoc loco nihil colligi contra nos: nam illud *secundum rationem Fidei* non conjungitur cum verbo *habentes*, sed cum verbo *subintellecto administramus*. Exponit enim Apostolus usum gratiarum gratis datarum, et docet, prophetiam debere administrari secundum rationem Fidei, ita ut nemo vaticinetur aliquid contra Fidem, ut faciebant Pseudopropheta, neque interpretetur Scripturas in aliquem sensum Catholicæ Fidei contrarium, ut hæretici plerumque faciunt.

Nonum argumentum I. Coriinth. II: *Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (2); igitur ad spirituales homines

pertinet interpretatio Scripturarum, non ad Papam, aut ad Concilia. Respondeo: non negamus, fuisse in Ecclesia et esse homines spirituales et perfectos, qui recte interpretentur Scripturas, imo etiam futura prospiciant, et cordium secreto scrutentur. Negamus tamen, ad eos pertinere judicium definitivum controversiarum Fidei, duplici de causa. Primo, quia non sumus certi certitudine Fidei, quinam sint isti spirituales, sicut certi sumus, Papam et Concilium esse spirituales, regi videlicet a Spiritu sancto. Secundo, quia scimus etiam maxime spirituales non semper illustrari, et quedam interdum ignorare, ut patet de Eliseo, qui habebat duplicem spiritum Eliæ, et tamen dicit IV Reg. IV: *Dominus celavit hoc a me, et non indicavit mihi* (3).

Dices: quid ergo significat illud *Judicat omnia*? Dico: significare omnia tam spiritualia, quam temporalia; tam cœlestia, quam terrena: dixerat enim, homines animales non percipere quæ Dei sunt, sed tantum judicare posse de rebus terrenis: nunc dicit, spirituales judicare omnia, id est, et terrena, et divina; non tamen sequitur, quod possit omnia divina. Nam quis neget multos veterum Patrum habuisse excellentem donum interpretandi, et fuisse spirituales, et tamen constat quosdam ex præcipuis eorum non leviter in quibusdam lapsos?

Decimum argumentum I. Corinth. XII, loquens Apostolus de dono interpretandi, et similibus gratis: *Hæc omnia, inquit, operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis prout vult* (4). Non est igitur alligatum hoc donum Concilio, vel Papæ, sed datur libere a Deo cui ipse voluerit. Et confirmant, quia sæpe, præteritis Sacerdotibus et Pontificibus, Deus excitavit Prophetas ex populo: nam Amos erat pastor ovium, et tamen factus est Propheta, et Debora mulier prophetavit.

Respondeo: Apostolum loqui de particularibus hominibus, ac dicere velle, non dari omnibus hominibus passim donum interpretandi. Neque hinc sequitur, non esse in Concilio, vel Pontifice docente ex Cathedra donum interpretationis: alia enim ratio est Concilii et Pontificis, alia privatorum hominum.

Ad illas confirmationes dico: privilegia paucorum non facere legem generalium.

Quod si contendatur dari omnibus, quia datum est Amos, et Debora, etiam concludent dari donum loquendi omnibus jumentis, quia datum est asina Balaam. Præterea, aliud est loqui de novis revelationibus, aliud de explicatione doctrinæ jam acceptæ: nam novæ revelationes non sunt alligatæ Pontificibus, nec nunc, nec in Testamento veteri. Nam in Testamento veteri prophetabant Isaias, Hieremias, et similes, non autem Aaron, et ejus successores: et in testamento novo prophetavit Agabus, et filia Philippi, et tamen Pontifices Linus, et Clemens, et cæteri non prophetabant. At explicatio doctrinæ acceptæ, et judicium de dogmatibus semper spectavit ad Pontifices, ut supra ostendimus.

Undecimum argumentum I. Thessal. V: *Omnia probate, quod bonum est tenete, et I. Joan. IV: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint* (1). Igitur etiam Concilii, et Papæ sententia probanda, et examinanda est: nihil enim Paulus et Joannes excipiunt. Colligunt etiam ex his locis, injuste prohiberi libros hæreticorum, cum Paulus dicat, omnia probate, etc.

Respondeo, et dico duo. Primo, Paulum et Joannem cum aiunt, *omnia probate, vel probate spiritus, si ex Deo sint* (1). Igitur etiam Concilii, et Papæ sententia probanda, et examinanda est: nihil enim Paulus et Joannes excipiunt. Colligunt etiam ex his locis, injuste prohiberi libros hæreticorum, cum Paulus dicat, omnia probate, etc.

Respondeo, et dico duo. Primo, Paulum et Joannem cum aiunt, *omnia probate, vel probate spiritus, si ex Deo sint* (1). Igitur etiam Concilii, et Papæ sententia probanda, et examinanda est: nihil enim Paulus et Joannes excipiunt. Colligunt etiam ex his locis, injuste prohiberi libros hæreticorum, cum Paulus dicat, omnia probate, etc.

Decimumtertium argumentum. Apostolus Ephes. cap. II scribit: *Estis cives Sanctarum et domesticæ Dei, superedificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (4). At si Scripturæ intelligentia penderet a Papa vel a Concilio, fundamentum nostrum esset super Papa, et Concilio magis, quam super Apostolorum et Prophetarum scriptis.

Respondeo ad hoc argumentum, quod sæpe repetit, et inculcat Calvinus: nos non negare, imo defendere contra negantes, verbum Dei ministratum per Apostolos et Prophetas esse primum fundamentum nostræ Fidei: ideo enim credimus quidquid credimus, quia Deus id per Apostolos, et Prophetas revelavit: sed addimus, præter hoc fundamentum primum, requiri aliud fundamentum secundarium, id est, Ecclesiæ testificationem. Neque enim scimus certo quid Deus revelaverit, nisi ex testimonio Ecclesiæ: et propterea sicut legimus, Christum esse lapidem fundamentalem, et fundamentum primum Ecclesiæ, ita legimus Matth. XVI de Petro super

(1) I. Thessal. V, 21.; I. Joan. IV, 1. — (2) I. Joan. II, 27. — (3) Ibid. 21 et 23. — (4) Eph. II, 19 et 20.

(1) Rom. XII, 6. — (2) I. Cor. II, 15. — (3) IV. Reg. IV, 27. — (4) I. Cor. XII, 11.

hanc Petram *edificabo Ecclesiam meam* (1). Itaque Fides nostra adhaeret Christo primae veritati revelanti mysteria, ut fundamento primario: adhaeret etiam Petro, id est, Pontifici proponenti et explicanti haec mysteria, ut fundamento secundo.

Decimumquartum argumentum. Si Pontifex iudicat de Scripturis; sequitur, Pontificem seu Concilium esse supra Scripturam: et si Scripturae sensus sine Pontifice vel Concilio non est authenticus; sequitur, verbum Dei accipere robur et firmitatem a verbo hominum etc.

Respondeo: hoc argumentum, quod ab haereticis plurimū fit, totum in aequivocatione versari. Nam duobus modis potest intelligi Ecclesiam iudicare de Scripturis: uno modo, quod iudicat, verum ne sit an falsum quod Scriptura docent: altero modo, quod posito ut fundamento certissimo, Scripturae verba esse verissima, iudicat quae sit vera eorum interpretatio. Et quidem si primo modo Ecclesia iudicaret, vere esset supra Scripturam, sed hoc non dicimus, quamvis haeretici calumniantur id nos dicere, qui passim vociferantur, nos subicere Scripturam pedibus Papae. At secundo modo iudicare Ecclesiam, vel Pontificem de Scripturis, quod nos asserimus, non est Ecclesiam esse supra Scripturam, sed supra iudicia privatorum hominum. Non enim iudicat Ecclesia de veritate Scripturae, sed de intelligentia tua, et mea, et aliorum: neque hinc sumit verbum Dei aliquod robur, sed intelligentia nostra; non enim Scriptura est verior, aut certior, quia sic ab Ecclesia exponitur, sed mea sententia est verior, quando ab Ecclesia confirmatur.

Decimumquintum argumentum. Si a iudicio Ecclesiae pendet Fides nostra, igitur a verbo hominum; ergo debilissimo nititur fundamento. Praeterea Scriptura facta est spiritu Dei; ergo spiritu Dei, non Ecclesiae intelligenda est.

Respondeo: verbum Ecclesiae, id est, Concilii, vel Pontificis docentis ex cathedra, non esse omnino verbum hominis, id est, verbum errori obnoxium, sed aliquo modo verbum Dei, id est, prolatum assistente et gubernante Spiritu sancto; imo dico, haereticos esse qui revera nitantur baculo arundineo. Sciendum est enim, propositionem Fidei concludi

tali syllogismo. Quidquid Deus revelavit in Scripturis est verum: hoc Deus revelavit in Scripturis; ergo hoc est verum. Ex propositionibus huius syllogismi prima certa est apud omnes, secunda apud Catholicos est etiam firmissima; nititur enim testimonio Ecclesiae, Concilii, vel Pontificis, de quibus habemus in Scripturis apertas promissiones quod errare non possint. Actor. XV. *Visum est Spiritui sancto et nobis*. Et Luc. XXII. *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua* (2). At apud haereticos nititur solis conjecturis, vel iudicio proprii spiritus qui plerumque videtur bonus, et est malus: et cum conclusio sequatur debiliorem partem; sit necessario, ut tota Fides haereticorum sit conjecturalis, et incerta.

Decimumsextum argumentum. Augustinus et alii Patres cum Scripturas exponunt, non usurpant praetoriam iudicandi potestatem, sed permittunt explanationes suas ab aliis iudicari.

Respondeo: aliud est interpretari legem more doctoris, aliud more iudicis: ad explanationem more doctoris requiritur eruditio, ad explanationem more iudicis requiritur auctoritas. Doctor enim non proponit sententiam suam ut necessario sequendam, sed solum quatenus ratio suadet: at iudex proponit ut sequendam necessario. Aliter accipimus glossas Bartholi et Baldi, aliter declarationem Principis. Augustinus igitur, et caeteri Patres in Commentariis fungebantur officio Doctorum: at Concilia, et Pontifices funguntur officio iudicis a Deo sibi commissio.

Decimumseptimum argumentum. « Augustinus contendit, Ecclesiam non debere se Christo praepone, quod ille semper veraciter iudicat: Ecclesiastici autem iudices, sicut homines, plerumque falluntur. » Haec sunt Calvini verba in praefat. Instit., ex quibus deducit, non esse Praelatos iudices controversiarum.

Respondeo: in primis falso citari locum a Calvino, is enim in margine ponit cap. 2, contra Cresconium: at contra Cresconium sunt quatuor libri, et in nullo eorum librorum cap. 2, illa verba inveniuntur, sed habentur lib. II, cap. 21, ubi loquitur Augustinus de questionibus facti non juris, in quibus iudices Ecclesiastici falli possunt. Docet

enim, in eo saepe Ecclesiasticos iudices falli, quod eos baptizent, qui ficto animo accedunt ad Sacramentum, et tamen sincera voluntate accedere videntur. Et quoniam Calvinus videbat nihil pro se facere locum illum, ideo forte non notavit distincte locum. Solet enim alias satis diligenter notare libros, et

capita, praeterquam quando loca solutionem secum ferunt apertissimam.

Alia multa argumenta, quae huc pertinere posse videbantur, tunc solvemus, cum tractabimus: an Ecclesia, vel Concilium, vel Papa errare possunt, et cujus sit in Conciliis praesidere.

(1) Matth. XVI. 18. — (2) Act. XV. 28.; Luc. XXII. 32.